

adhuc media efficacia ad conservacionem meriti, im-

84 Obijes ultimo: Voluntas signi non est formaliter in Deo, sed solum metaphorice: Atqui voluntas antecedens salvandi omnes homines, est voluntas signi: Ergo non est in Deo formaliter. Major constat ex supra dictis: Minor probatur ex D. Thoma opusculo de praesentia & predestinatione, cap. 6. ubi ait: Deus dicitur velle aliquid dupliciter: uno modo proprie; & sic dicitur velle aliquid cuius voluntas vere in eo est, quod sibi complacet; & hoc dicitur voluntas beneficii, quae semper in omnibus infallibiliter impleretur, & de hac loquitur Scriptura. Isaia 46. Omnis voluntas mea facta est. Alio modo dicitur velle aliquid metaphorice, id est per similitudinem, eo quod ad modum volentis se habet, in quantum precipit, consulit, prohibet, vel permittit aliquid; & hoc dicitur voluntas signi, quae non semper impleretur, de qua dicitur Apostolus 1. ad Timoth. 2. Qui vult omnes homines salvos fieri, cum tamen omnes salvos non fiant, sed multi damnentur.

85 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, in primis dico opusculum illud non esse D. Thomae: quod mihi fuisse tria. Primum est, illud inter alia opuscula non inveniri. Secundum, in Romana editione, quae alii est praefenda, tale opusculum in illius operibus non haberi. Tertium, quia D. Thomas sibi manifeste contradicere, cum apertissime doceat locis supra relatis, voluntatem de salute omnium hominum, non esse voluntatem signi, sed beneficii.

86 Secundo responderi potest, talem voluntatem referri posse, vel ad voluntatem signi, vel ad voluntatem beneficii, secundum diversas consideraciones. Prout enim denotat actum divinae voluntatis formaliter in Deo existentem, voluntas beneficii dicitur: quatenus vero aliquo signo exteriori manifestatur, voluntas signi appellatur ut explicat S. Doctor super cap. 1. Epistolae ad Timotheum lect. 1. his verbis: Velle ponitur quandoque pro voluntate beneficii, quandoque pro voluntate signi. Pro voluntate signi quis salvare omnes, quia omnibus propitius se habet, consulit, & remedia. Pro voluntate beneficii, se exponi potest quatuor modis. Et. Unde quoad S. Thomam in praedicto opusculo de praesentia & predestinatione asserit quod voluntas illa, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, est voluntas signi; per hoc non excludit, quin fit etiam voluntas beneficii: nihil enim prohibet (ut supra ex eodem sancto Doctore ostendimus) de eodem secundum diversas consideraciones, esse voluntatem beneficii & signi.

ARTICULUS IV.

An voluntas antecedens salvandi omnes homines sit conditionata, & expectans consensum & determinativam voluntatis humanae?

Partem affirmativam tenent communiter Recentiores cum Molina, asserentes voluntatem Dei antecedentem, dici conditionatam, eo quod dependet a consensu liberi arbitrii, tamquam a conditione quam expectat, & ex cuius defectu redditur inefficax, ac frustratur suo effectu.

Addunt aliqui, quod si Deus voluntate absoluta & per se efficaci, vellet salvare homines, eorum libertas destrueretur, quia ex illa induceretur necessitas antecedens, libertati contraria. Unde Petavius tom. 1. lib. 10. cap. 3. docet, Deum erga omnes homines quadam voluntatis promotione ferri, ut eos salvos ac beatos vellet, & quidem efficaci quantam est ex se, non tamen absoluta & conditionata experte voluntate, sed ad talem conditionem implicata, si & ipsi consentire voluerint.

87 Haec tamen sententia, & hic modus explicandi voluntatem antecedentem, displicet omnibus Divi Augustini & S. Thomae Discipulis, qui cum utroque sancto Doctore constantissime asserunt, voluntatem Dei esse de se efficacem: illamque non expectare, sed causare consensum & determinationem liberi arbitrii creati, ut fatis ostendimus disputatione sequenti, ubi agemus de divinarum decretorum efficacia & causalitate. Unde fit

Conclusio negativa statuitur, & variis autoritatibus & rationibus suscedit.

Deo scitur, Voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, non dici conditionatam, ex eo quod pendet a consensu voluntatis humanae: tamquam a conditione quam supponat, vel expectet a libero arbitrio. Sed quia importat actum conditionatum, quod Deus vellet salutem omnium hominum, nisi hoc repugnaret ordini suae providentiae, & nisi ex hoc impederetur bonum universale iustitiae, & manifestatio gloriam attributorum.

Conclusio sic explicata probatur primo ex D. Thoma supra relato in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. ad 2. ubi ait: Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte volentis, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exigunt ad rectum ordinem in salutem. Quibus verbis aperte docet, voluntatem antecedentem non dici conditionatam, eo quod pendet tamquam a conditione a consensu & determinatione liberi arbitrii, ut asserunt Recentiores, sed quia attingit suum objectum, scilicet salutem hominum, ut praesentiam a circumstantiis particularibus: manifestatio scilicet fuit iustitiae, puritudo universi, &c. seu quia illam vellet, nisi tales consideraciones obstant. Idem docet in 1. ad Timoth. cap. 2. lect. 1.

Probatur secundo conclusio ex Augustino 4. contra Julianum cap. 8. & in Enchiridio cap. 25. & 27. ubi ait: Multi salvos non sunt, non quia ipsi nolint, sed quia Deus non vult, quod absque ulla controversia manifestatur in parvulis. Quibus verbis non solum clare docet nostram conclusionem, sed etiam efficacem infinitam rationem ad illam demonstrandam. Nam voluntas antecedens (ut communiter docent Theologi contra Vasquez) comprehendit non solum adultos, sed etiam parvulos sine baptismo decedentes: Sed talis voluntas, prout se extendit ad parvulos, non potest dici conditionata, si ipsi velint, ut constat, cum illi non habeant usum rationis & liberi arbitrii. Nec etiam si parentes eorum velint eos baptizari, aut eorum baptismo non ponant impedimentum. Tum quia baptismus, pueris in utero materno decedentibus, humana diligentia applicari non potest, cum in tali statu non possint subijci operationi ministrorum Ecclesiae, ut docet S. Thomas 3. p. q. 68. art. 11. Tum etiam, quia ut ait Augustinus de dono perseverantiae cap. 12. Quod dicitur quod parvulus aliquando antequam illi per ministrum baptismus succurrat fuit expressus: plurimque enim sustinuitis parentibus, & parvis ministris, ut baptismus parvulo daretur, Deo tamen volente non datur. Et lib. 6. contra Julianum cap. 5. Aliquando inquit, adoptat in filium, quem formos in utero immundissime femina: & aliquando non vult esse filium suum: quem formos in utero filia sua. Ille quippe ad baptismum nescio qua provisione pervenit, iste repentina morte non pervenit. Aequae ita Deus in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consorcio, quem formos in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formos in templo suo. Similia habet Epistolae 105. & 107. de gratia & libero arbitrio cap. 28. de natura & gratia, cap. 27. & alibi: Ergo, &c.

88 Probatur tertio conclusio: quia Pelagius in commentario horum verborum Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri, eodem modo illa exponit quo Recentiores: ait enim, Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi tamen vocanti Deo consensive voluerint. Eandem interpretationem adhibet Julianus eius Discipulus, ut refert D. Augustinus lib. 4. contra eumdem Julianum cap. 8. his verbis: Sed ponit Apostolicum testimonium, & ab eo dicitur passantibus aperiri, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ut videlicet intelligamus, & consentimus vobis, ideo non omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare; nolunt quare, cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cum Deus velit aperire.

Idem docent Semipelagianii, ut colligitur ex Epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum, & fatetur Pelagius de Theolog. dogmat. tom. 1. lib. 9. cap. 16. his verbis: Petrus Dicitur in Epistola ad Vulsenium de incarnatione & gratia Christi, Semipelagianorum rationem refellit, agendum Deum velle omnes homines salvos fieri, sed eorum voluntate fieri non salventur. Unde Beatus Remigius Archiepiscopus Lugdunensis, in libro de tribus Epistolis, postquam tres expositiones quas adhibet Augustinus praedictis verbis Apostoli reulit, loquens de quarta, quae est Damasceni, sic ait: In quarto autem modo illud sine dubio cavendum est, quia & occasione Pelagianae praesentiae praebet, quae Deum ut salvos homines, humanis expectantibus asserit voluntatem. Idem asserit Magister sententiarum in 1. dist. 46. ubi dicit quod occasione horum verborum Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri,

fieri, multi a veritate deviantur, dicentes Deum multos fieri velle qui non sunt.

90 Respondent Adversarii: Pelagianus & Semipelagianus in hoc errat, quod asserunt omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, voluntate naturali, & praecedente gratiam: esse autem Catholicam doctrinam, & praecedente gratiam omnes homines salvos fieri, si ipsi velint voluntate preparata per gratiam, quamvis talis gratia subdatur libero arbitrio, quantum ad efficaciam & usum, & illius applicationem & determinationem expectet, ut in actum determinatum exeat.

91 Sed contra primo: Pelagius in tertio saltem statu suae haereticis, admittit gratiam internam illuminantem, & moraliter excitantem, ut aperte colligitur ex Augustino in libro de gratia Christi capite 7. ubi sic Pelagium loquentem inducit: Adversarius enim non dicit, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne presentibus erumpemus, futura demoustrat, dum diaboli panem insidiat, dum nos multiformi, & ineffabili dona GRATIAE CELESTIS ILLUMINAT, cap. 10. eisdem libri ait idem Pelagius: Operatur Deus in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deducit, multorum more animalium, inanimato presentia diligentes, suave gloria magnitudine, & promiorum sollicitatione succendit, dum revelatio sententiae in desiderium Dei, suscipit SUSCIPIT VOLUNTATEM. Dum nobis (quod tamen alibi negare non metuit) SUADET omne quod bonum est. Ergo quando Pelagius & Julianus dicebant, velle Deum omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, aut consentiant, non loquebantur de voluntate aut consensu mere naturali, & praecedente omnem gratiam, saltem internam illuminantem, & moraliter excitantem, qualem solum admittit Adversarii; sed de voluntate, & consensu qui erit a voluntate sub gratia constituta, non tamen ab illa applicata & determinata. Quod adhuc evidentius est in Semipelagianis, ut colligitur ex D. Prospero in Epistola ad Augustinum, versus finem, ubi Pelagianorum sententiam referens, sic ait: Per omnium inventum & una sententiam, qua praedestinationem Dei secundum praesentiam receperunt, ut ab hoc Deus alios vasa honoris, alios contrariae severitatis, quia finem universi huius praeparavit, ET SUB IPSO GRATIAE ADIUVANTIA, in qua futurus esset voluntate & actione perfectus, &c. Ecce voluntatem, seu voluntatis determinationem, & consensum praevium, non sine auxilio Dei, sed sub ipso gratia adiutorio, positum a Semipelagianis, quamvis non ab ipso causatum.

92 Secundo. Dato etiam & non concessa, quod Pelagianus & Semipelagianii intelligunt haec verba Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, voluntate mere naturali, & per gratiam nullatenus preparatam: hoc tamen non solum in eis reprehendebat Sancti Patres, sed praecipue hoc in eis damnabant, quod dicebant, Deum ita velle omnes homines salvos fieri, quod per voluntatem creatam poterat frustrari & impediri divina. Sed hoc idem asserunt Adversarii: Ergo ab illis totaliter non discedunt. Minor constat, Major autem probatur ex verbis Petri Diaconi, & Magistri sententiarum supra relatis: ait enim Magister, quod occasione horum verborum Apostoli multi a veritate deviantur, dicentes Deum multos fieri velle qui non sunt. Idem colligitur ex Augustino in Enchirid. c. 103. ubi postquam praedicta Apostoli verba exposuit secundum distributionem accommodatam, vel incompletam, addit: Illa quomunque alio modo intelligi posse, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse. Item B. Remigius loco supra citato ait, Hanc sententiam Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri, fideliter posse recipi, si hanc voluntatem beneficentiam implere non posse. Et addit: Quis ergo refert, nisi ut ille qui omnia quomunque voluit, ideo hoc non facit, quia noluit, non quia non possit? quia sicut vere omnia quae voluit, fecit, ita vere voluit quae non fecit: quae ergo voluit salvare salvavit, quia omnia quomunque voluit fecit. Denique Lupus Servatus de tribus questionibus q. 2. de Praedestinatione, sic habet: Quod venerabilis Paulus ait, qui vult omnes homines salvos fieri, non sic accipiendum est, quasi cum Deus velit generaliter, omnes fieri salvos, quibusdam impedimentis impeditissimis, non valens omnipotentissimus implere quod vult: sed ita primum, quod ille suo volentibus, suos nolitius (nam placet in infantibus etiam baptizari, horum non habentes discrimen, moritur excedens transierunt ad gloriam) salvaverit quosque quomunque ille salvare voluerit.

93 Quarto probatur conclusio, Deus, ut supremus Dominus gloriae, ante praeviam hominum merita, & demerita elegit efficaciter quosdam ad gloriam, & voluit alios efficaciter excludere ab illa ut beneficium indebitum, ut ostendimus in Tractatu de praedestinatione, contactaque ex illis verbis Pauli ad Roman. 9. Non ex operibus, sed ex vocante dicitur esse: Jacob dilecti, Esau autem odii habuit. At cum voluntate efficaci excludendi reprobos a gloria ante praeviam eorum demerita, non est compatibilis vo-

luntas conditionata conferendi illis gloriam, sed conditione quod per ipsos non steterit, ut de se est manifestum: Ergo voluntas antecedens non habet pro objecto gloriam, ut futuram sub conditione quod homines velint, aut per ipsos non steterit.

Quinto suadet conclusio: Decretum conditionatum, quod seipso producit effectum, per hoc praesertim quod praedictum conditio: Sed voluntas antecedens salvandi omnes homines, etiam si poneretur conditio, nempe humana voluntas, aut non resistentia liberi arbitrii, non haberet effectum ex seipso, absque adiuncta efficaci voluntate Dei: Ergo non terminatur ad gloriam sub praedicta conditione futuram. Major constat, Minor vero in qua est difficultas probatur primo: quia ut expresse docet Sanctus Thomas 1. ad Ambaldum dist. 46. quae unica art. 2. ad 2. voluntas antecedens non habet effectum, nisi voluntas consentiens adiungatur. Secundo, quia alias totum praedestinationis negotium, in purificatione illius conditionis consisteret, & consequenter, per hoc praesertim quod homines, per liberum voluntatis consensum, intelligenter determinare voluntatem illam antecedentem & conditionatam, praedestinati intelligerentur, & a reprobis discreti; & sic praedestinati seipsum a reprobo differerent, contra illud Pauli, Quis enim se discretus? Item praedestinato electorum non esset providentia specialis ordinis supernaturalis, sed ad generale, per quam Deus omnes homines ad finem supernaturalem elevavit, & media sufficientia ad illum consequendum preparavit, raduceretur: quae falsa sunt, & erronea, ut in Tractatu de praedestinatione constat.

Denique probatur conclusio: Cum homines non possint velle salutem, nisi Deus velit eos velle, & nisi in eis operetur ipsum velle, ut docet Apollolus ad Philippenses 2. Augustinus in Solil. cap. 24. dicens: Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis, implicat quod in Deo sit decretum, aut volitio salvandi homines, dependens tamquam a conditione, a consensu & volitione hominum, illamque ab humana voluntate expectans. Unde Ecclesia Lugdunensis in libro de definitione veritatis Sacrae Scripturae: Certum, illud in hac quaestione manifestum est, quod etiam si generaliter & indifferenter, omnes homines Deus vult salvos fieri, in aliorum tamen cordibus, benignitate misericordiae suae ipse operatur eandem voluntatem suam, ut & ipsi salvos velint, & salventur: quibus & Apollolus dicit: cum simore & tremore vestram salutem operantur, Deus enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. In aliorum autem cordibus, severitate: nisi & occulit iudicium sui, non operatur hanc salutem voluntatem, sed dimittit eam in suo arbitrio, ut quia noluerint credere, ipsa volitione damnentur, nisi & ipsi multum tamen operentur.

§. II.

Principium Adversariorum fundamentum cavellitur.

Contra istam conclusionem obijciunt Adversarii: Deus non salvat homines nisi velint, & suae gratiae & vocationi libere consentiant: iuxta illud Augustini, & qui creavit se sine eo, non salvavit se sine te: Ergo voluntas salvandi omnes homines dependet a volitione liberi arbitrii, tamquam a conditione quam Deus a voluntate humana expectat. Quod potest confirmari ex verbis Ambrosii, qui exponens hunc locum Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri: ait: Deus vult omnes homines salvos fieri, si accedant ad ipsum, non enim sic vult salvare, quod volentes salventur, sed vult salvare si ipsi velint.

89 Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim Deus non salvet homines, nisi volentes, & suae vocationi libere consentientes, hanc tamen liberam volitionem, & consensum non expectat: nec emendat, ut ita loquar, ab humana voluntate: sed illum intus in corde hominis per suam gratiam in praedestinato infallibiliter operatur, applicando voluntatem illorum ad libere consentiendum gratiae vocanti & moraliter excitanti. Quare diligenter observandum est, ut quando dicimus, voluntatem quam Deus habet salvandi homines, non dependere tamquam a conditione, a consensu seu volitione hominis, per hoc non intendimus negare liberum hominis arbitrium Deo consentire, & libere cooperari ad suam justificationem & salutem (hoc enim de fide certum est, & desinitium in Tridentino contra impium Lutherum, dicentem in justificatione liberam arbitrium non cooperari Deo moventi & excitanti, sed mere passive se habere, recipiendo motum a solo Deo productum) sed solum contendimus, Deum talem consensum ab humana voluntate non expectare, vel supponere, sed illum per suam gratiam preparantem & applicantem, intus in corde hominis efficere, ut clare explicat & docet Augustinus Epistolae 197. ubi sic habet: Quispropter ut in Deum credamus & pie vivamus, non volentes, neque curantes, sed misericordiae est Dei: non quia velle non debemus, & curare, sed quia ipse in nobis, & velle operatur & curare. Et de dono perseverantiae c. 13. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis.

*nobis operatur & velle nos ergo operatur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate: hoc nobis expedire & credere, & dicere hoc est pium & verum, ut se humiliet, & submissa confesso, & deus totum Deo. Idem eleganter docet Fulgentius de Incarnatione & gratia, c. 29. quibus verba retulimus Tractatu præc. disp. 6. a. 6. ubi videri possunt. Ex quibus patet responso ad locum Ambrosii: ibi enim solum intendit explicare consensum & cooperationem liberi arbitrii, concurrentis ad justificationem, & salutem hominum, & solum voluit declarare qualiter Deus salvet homines, non contradicentibus ipsis, neque coactis; ut constat ex illis verbis. Non enim sic vult salvare, quod nolentes salventur. Unde quando addit, quod Deus vult salvare homines, si ipsi velint, non intendit quod Deus expectet voluntates hominum, ut dicebant olim Sempelagiani; sed quod vult illos salvare si velint non coacte, sed libere, & spontanee: ut enim ait Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 10. Deus vult tantum in istis hominibus caritatis operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes creantur, sed ut volentes ex voluntatibus suis.*

ARTICULUS V.

*An per voluntatem antecedentem preparatur homini, in statu nature lapsæ, media, seu auxilia ad salutem sufficientia?*

§. I.

*Propositio status questionis, & pars affirmativa eligitur.*

98 **A**gimus hic solum de preparatione auxiliorum sufficientium, non autem de actuali collatione, & intrinseca receptione illorum (de hoc enim in Tractatu de prædestinatione disp. q. art. 5. dicemus) & solum inquirimus, an sicut medicus qui aperit apothecam, omne remedium genus pro infirmis continenter, & omnibus patentem eam ponit, dicitur velle quantum est de se omnes sanare, licet talia remedia omnibus non applicet; immo si forte aliqua ex illis, per accidens alicui vel aliquibus non sint applicabilia: ita etiam Deus ex voluntate illa generali & antecedente, qua vult omnes homines salvos fieri, pro omnibus preparat aliqua media & remedia, seu auxilia ad salutem sufficientia, quamvis per talem voluntatem illa omnibus non conferat, nec applicet, immo interdum aliquæ ex illis non sint proxime applicabilia, ut contingit in parvulis in utero materno decedentibus, quibus Baptismus, quamvis pro illis preparatus, & a Christo institutus, non est proxime applicabilis; quia in tali statu non possunt subijci operationi ministrorum Ecclesie, ut docent Theologi cum Magistro in 2. d. 6. & cum D. Thom. 4. p. q. 68. art. 11. Pro resolutione

99 **D**ico, per voluntatem antecedentem Deum preparare media, seu auxilia, quibus homines sufficienter ordinentur, & promoveantur in vitam æternam. Ita communiter docent Theologi contra Janfenium supra citatum, qui asserit voluntatem illam antecedentem salvandi omnes homines, in statu nature lapsæ, esse omnino sterilem & infructuosam, & per illam nullam preparari vel conferri hominibus auxilium sufficientem ad salutem, quamvis in statu innocentie, primis parentibus perutilem fuisse, ab eaque gratiam sufficientem, subditam illorum voluntati, quantum ad usum & efficaciam, processisse fateatur.

100 **P**robatur primo conclusio ex D. Thoma in 1. d. 46. q. 1. art. 1. ubi loquens de voluntate antecedente, dicit: *Injuxta voluntatis effectus est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter proposita, tam universalis quam gratiosa. Et cap. 12. in Epist. ad Hebræos lect. 3. Deus, inquit, vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat. Similiter libro 3. cont. Gent. cap. 159. Deus quantum in se est paratus est omnibus dare gratiam: vult enim omnes homines salvos fieri. Ad hæc causalis non valet, si Deus per voluntatem antecedentem, auxilia ad salutem sufficientia non prepararet: Ergo per talem voluntatem, hujusmodi auxilia preparat.*

101 **C**onfirmatur exemplo mercatoris quo utitur D. Thomas supra volutus, ad explicandam voluntatem illam antecedentem, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Quis enim dicat mercatorem velle salvare merces, nisi quantum est de se omnem diligentiam sufficientem adhibeat, per quam servari possint, quantumcumque cogatur propter alias causas consequentes, earum conservationem negligere, ne scilicet submergatur navis &c. Similiter etiam, quomodo stare potest, Deum habere veram & sinceram voluntatem salvandi omnes homines, si per talem voluntatem media & auxilia per que salvari possunt, eis non preparat: quamvis propter manifestationem suam justitiae, & propter alias causas, velit permittere pec-

cata, & pluribus denegare auxilia efficiacia, quibus de facto salventur.

Secundo probatur ex D. Prospero cap. 25. de vocat. 102 Gentium, ubi ait: *Sive igitur novissima contempleris scedula, seu prima, seu media: rationabiliter & pie credideris, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliunde monstratur, quam de his beneficiis atque providentiis Dei, quam universis generatim communiter atque indifferenter impendit: Ergo sentit S. Prosper, Deum per voluntatem generalem & antecedentem, qua desiderat hominum salutem, velle dare seu preparare omnibus auxilia ad salutem sufficientia.*

Tertio probatur conclusio ratione fundamentalis, quam infinitat S. Thomas loco relato ex 1. sent. Deus per voluntatem antecedentem ordinat omnes homines in finem salutis: *hujus enim voluntatis effectus, est ipse ordo in finem salutis, inquit S. Docteur ibidem: Ergo per illam preparat hominibus auxilia ad salutem sufficientia. Consequenter patet: cum enim finis non sit inæquilibrium nisi per media, implicat homines, per voluntatem antecedentem sufficienter ordinari in finem salutis, nisi per talem voluntatem media & auxilia ad salutem sufficientia preparentur.*

Confirmatur. Velle finem sine mediis, est velle aliquid impossibile: unde si Deus per voluntatem antecedentem velle omnes homines salvos fieri, & illos in finem salutis ordinare, & tamen de mediis, & auxiliis ad eam consequendam sufficientibus, illis non provideret, talis voluntas esset de re omnino impossibilis: quod est absurdum, & divina sapientie injuriosum.

Confirmatur amplius: Per voluntatem antecedentem 105 salus hominum, etiam reproborum, fit non solum possibilis, sed etiam aliquo modo futura (inchoative scilicet & incomplete) ut art. 3. declaravimus; quia divina voluntas non fertur, etiam per actum simplicis complacentie, ad res ut sunt in statu mera possibilitatis, ut supra disp. 2. art. 4. ostensum est: At salus reproborum non potest esse incomplete & inchoative futura, seclusis auxiliis sufficientibus, ut constat ex dictis articulo precedenti: Ergo per voluntatem antecedentem preparantur media & auxilia ad salutem sufficientia.

Ex his consultata manet responso & doctrina Janfenii 106 asserentis Deum per voluntatem antecedentem, preparasse quidem hominibus auxilia ad salutem sufficientia, in statu innocentie; non tamen in statu nature lapsæ, in quo privantur hujusmodi auxiliis, in penam peccati originalis. Ut enim supra ostendimus, homines in statu nature lapsæ, non minus sunt elevati ad ordinem & finem supernaturalium, quam in statu innocentie; unde si talis elevatio & ordinatio, sine auxiliis sufficientibus stare non possit, manifestum est per voluntatem antecedentem preparari auxilia sufficientia, non solum pro statu innocentie, sed etiam pro statu nature lapsæ.

Præterea, Christus Dominus prædestinatus est universalis Redemptor, prævisis peccato originali, ut supra ostendimus; Ergo post tale peccatum, fuit in Deo voluntas salvandi omnes homines, & illis preparandi media & auxilia ad salutem sufficientia.

Tertio, si quando D. Thomas dicit, quod *Deus paratus est omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines salvos fieri, non loqueretur de hominibus prout nunc sunt, sed tantum de voluntate illos salvandi in obedientia Adversus innocentie, non dixisset, Deus vult omnes homines salvos fieri, & paratus est omnibus dare gratiam, sed voluit omnes homines salvos fieri, & paratus fuit gratiam illis dare: quia, ut supra arguebamus contra Janfenium, in præterito & non in presenti debet exprimi Dei voluntas, cum præterit tempus implentionis illius.*

Deinde, Deus in statu nature lapsæ obligat homines ad 109 præcepta supernaturalia: Ad secluso auxilio sufficienti, talis obligatio nequit subsistere, ut statim ostendimus: Ergo etiam in statu nature lapsæ, Deus per voluntatem antecedentem preparat hominibus auxilia sufficientia.

Probatur ergo ultimo conclusio alia ratione fundamentalis 110 Eo ipso quod Deus per voluntatem antecedentem ordinat homines ad salutem, & finem supernaturalium, eos obligat ad observanda præcepta supernaturalia, que sunt media ad ejus consecutionem necessaria: juxta illud Christi, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata: Sed non potest homo sine auxiliis sufficientibus obligari ad observandam præceptorum supernaturalium: Ergo Deus per voluntatem antecedentem preparat hominibus auxilia sufficientia. Major patet, Minor probatur. Homo non potest obligari ad impossibile: Sed observantia præceptorum supernaturalium, sine auxilio supernaturali, saltem sufficienti, impossibilis est: Ergo secluso tali auxilio, ad illam obligari nequit. Major constat ex Tridentino sess. 6. cap. 11. ubi dicitur, quod *Deus impossibilis non jubet, & ex Augustino de natura & gratia cap. 69. dicitur, Transmissis creditur, Deus justus & bonus impossibilis non potuisse præcipere. Et serm. 101. de tempore: Excitantur enim hæc phænomina, qui dicunt impossibile aliquid a Deo esse præceptum, & item. 6. Nec impossibile aliquid potius imperare qui justus est, nec damnaturum.**

*naturæ est hominem pro eo quod non possit vitare, qui plus est. Idem docet D. Thomas in 2. d. 28. q. 1. art. 3. his verbis: Deus non est magis crudelis quam homo: sed homini imputatur in crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non potest: ergo hoc de Deo nullo modo est affirmandum.*

Minor etiam non est minus certa: Cum enim homo ex solis viribus liberi arbitrii non possit elicere actus supernaturales, ut in pluribus Conciliis contra Pelagianos definitum est, observantia præceptorum supernaturalium, sine auxilio gratie, non minus est homini impossibilis, quam impossibile est aquila volare sine alis, vel equo currere sine pedibus.

Hoc argumentum maxime torquet Janfenium, unde ut ab illo se expedit, in omne latus se vertit, & varias adhibet responsiones. In primis dicit, præcepta supernaturalia impleri posse sine auxilio sufficienti, a Scholasticis, inquit, ex principis Philosophiæ petito; a justo quidem, per gratiam & caritatem; a fidei, per fidem; & ab infidelibus, per liberum arbitrium, ratione cuius est capax recipiendi a Deo gratiam, & dona supernaturalia.

111 Sed contra: Habitus gratie & caritatis, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 9. non habent rationem auxilii plene sufficientis ad evitanda peccata, & observanda præcepta supernaturalia; quia cum illi habitus imperfecte participentur ab homine vitatore, neque sint hic in suo statu perfecto & conaturali, non possunt perfecte operari, nec reddere hominem complete potentem ad actus supernaturales elicendos, nisi auxilio actuali juventur, sicut inquit Augustinus de natura & gratia cap. 26. *oculus corporis, quantum plerumque sanus, non potest errare, nisi laedere lucis adjuvatur. Item fides, cum fit in intellectu, non potest elevare voluntatem, & illam reddere intrinsece potentem ad elicendos actus supernaturalium caritatis & contritionis: Ergo illa in peccatore infidelis non potest habere rationem auxilii sufficientis ad observanda præcepta supernaturalia. Denique in infideli, omni habitu supernaturali destituit, sola capacitas & potentia obedientialis, quam habet ut elevetur a Deo ad opera supernaturalia, non potest habere rationem auxilii sufficientis ad observanda præcepta ordinis supernaturalis; alioquin etiam homo possit dici potens ad volandum, ad resuscitandos mortuos, & ad patranda alia opera miraculosa; quia potest a Deo recipere aliam, & facultatem patrativam miraculorum, atque ad illa capacitatem, & potentiam obedientialem passivam habet.*

112 Respondet secundo Janfenius, quod sicut occidens hominem cum ignorantia concomitante, non excusatur a peccato, quia ignorantia non est causa talis occisionis; ita etiam impotentia que est in homine, defectu auxilii sufficientis ad observanda præcepta, non excusatur a peccato transgressionis, vel omissionis præcepti; quia talis impotentia non est antecedens, sed concomitans non enim (inquit) ideo transgreditur præceptum, quia non potest illud observare, sed quia non vult: quod ex eo patet quod nescit se non posse implere præceptum, immo putat se posse, & tamen non vult illud implere; & ita affectus est, ut etiam si possit, illud tamen observare nollit. Unde sicut si quis ignorat, janam domus esse clausam, ac proinde se non posse ire in Ecclesiam, vellet tamen in eam non ire, cum urgeat præceptum audiendi Missam, peccaret, licet non possit Ecclesiam ingredi; quia talis impotentia se haberet mere concomitante & per accidens, & non influeret in talem volitionem. Ita similiter, quamvis homo, defectu auxilii sufficientis sit impotens ad observandum præceptum, peccat tamen illud non observando; quia talis impotentia non est antecedens, nec influit in talem transgressionem, sed se habet mere concomitante & per accidens.

113 Verum hæc responsio est magis subtilis quam solida: licet enim verum sit, impotentiam concomitantem que se tenet ex parte voluntatis executive, non excusare a peccato, ut patet in exemplo adducto; id tamen non potest dici de impotentia que se tenet ex parte voluntatis, que nunquam ita est concomitans, quin etiam sit antecedens. Ratio est, quia impotentia voluntatis, undequaque proveniat, impedit libertatem, ad quam requiritur potentia proxima & completa ad operandum: defectus autem libertatis excusatur a peccato. Unde patet discernim, quod inter illum qui ignorans janam esse clausam, non vult ire in Ecclesiam, & eum qui defectu auxilii sufficientis non observat præceptum, reperitur: primus enim peccat, quamvis sit impotens ad audiendam Missam; quia licet non possit illam audire, adhuc tamen remanet liber, & potest habere voluntatem illam audiendi, si non adesset illud impedimentum quod ignorat. Secundus vero, defectu auxilii sufficientis, non solum non potest observare præceptum, sed nec etiam velle illud observare, cum non solum non requiritur auxilium naturale, ut homo de facto observet præcepta supernaturalia, sed etiam ut ea observet velit: eo quod talis volitio, utpote habens obiectum naturale, non minus sit supernaturalis, quam ipsa præcepti observantia.

Theol. Gener., Tom. I.

Respondet tertio Janfenius, quod licet homo in statu nature lapsæ defectu auxilii sufficientis, sit impotens ad observanda præcepta supernaturalia, non excusatur tamen a peccato transgressionis, vel omissionis præcepti; quia talis impotentia, & carentia auxilii sufficientis, oritur ex culpa præcedenti, scilicet ex peccato originali, cuius in culpa præcedenti, scilicet ex peccato nature lapsæ, autitui Deus denegat hominibus in statu nature lapsæ, auxilium illud sufficientem quod Adam contulerat in statu innocentie. Quare sicut ille Sacerdos, qui proiciendo breviorum in mare, se redderet impotentem ad recitandum officium, non excusatur a culpa; ita nec homines in statu nature lapsæ, a peccato excusantur, quamvis sint impotentes ad observanda præcepta, quia talem impotentiam contraxerunt peccando in Adamo, in quo tamquam in capite voluntates omnium hominum continebantur.

114 Sed contra primo: Homines non semper peccant in eo quod vitare non possunt, etiam si talis impotentia ex peccato præcedenti proveniat, ut docet S. Thomas 3. cont. Gent. c. 159. & patet in eo, qui ob famam culpam incidit in morbum, ex quo fit impotens ad jejunandum, vel audiendam Missam: talis enim, ut communiter docent Theologi, non peccat non jejunando, vel non audiendo Missam, est factus fit impotens ex peccato præcedenti: Ergo similiter, si homines essent impotentes ad implenda præcepta supernaturalia, & careret auxiliis sufficientibus ad illa observanda, non peccarent ea transgrediendo, vel omit-tendo, quamvis talis impotentia, & carentia auxiliorum, proveniret ex peccato Adami, & esset voluntaria in capite. Sicut nec peccant in motibus primo primis, provenientibus ex rebellione appetitus, & morbo concupiscentie, relicto ex peccato originali, & culpa primi parentis, quia tales motus inordinatos impedire non possunt.

Secundo, Quamvis daretur ex hæc responsio, aliquo modo salvari inexcusabilitatem peccatorum, non salvatur tamen possibilitas præceptorum supernaturalium in statu nature lapsæ: hæc enim, ut supra ostendimus, secluso auxilio sufficienti, non potest subsistere: Atqui in statu nature lapsæ salvari debet non solum inexcusabilitas peccatorum, sed etiam possibilitas præceptorum supernaturalium, ut constat ex definitione Tridentini supra relata, & ex nova Constitutione Innocentii X. Ergo non valet talis responso.

115 Tertio, Deus in nova lege quædam imposuit præcepta de novo omnibus hominibus: esset autem valde durum, quod ad nova obligaret, & vires ad ea adimplenda sufficientes non tribueret: hoc enim esset injicere de novitate quædam animabus, novas & inevitabiles occasiones peccandi præbendo; cum lex, sine spiritu gratie vivificante, sit littera occidens, ut sicut prosequitur Augustinus in libro de spiritu & littera.

Respondet ultimo Janfenius, duplicem posse dari in 119 homine impotentiam. Unam que provenit ex defectu alicujus quod non potest, quantumlibet magna voluntate, hoc est quantumlibet fortiter volendo, suppleri. In his angustis est, qui v. g. amittit breviarium; non potest enim defectu illius, licet ardentius velit, horas canonicas recitare, & talis impotentia, inquit, non adimpletam præcepta excusat, quia ob eam, vel extinguitur præceptum, vel ejus omisio non imputatur. Altera impotentia est, que ex defectu ipsius voluntatis, seu volitionis oritur, que si adesset, quanta esse debet, facillime præceptum impleteretur; & hæc impotentia sciendi, nullo modo excusatur eum qui non implat quod præcipitur, quia potest implere si vellet. Cum ergo homines in statu nature lapsæ, hoc secundo modo sint impotentes ad observanda præcepta supernaturalia, & possent ea implere, si vellet, eorum transgressio, vel omisio, illis imputatur in culpam.

120 Sed contra: Quando dicitur, quod homo in statu nature lapsæ potest implere præcepta, si vellet, vel hoc intelligitur de voluntate inefficaci & conditionata, que velletis appellatur: vel de voluntate absoluta & efficaci, que est voluntas simpliciter & proprie dicta? Primum non potest dici, quia voluntas inefficax & conditionata fertur etiam ad impossibilia. Si vero secundum affirmetur, recurrit difficultas principalis argumenti; quia homo in statu nature lapsæ, sine auxilio gratie, tam est impotens ad habendam volitionem absolutam & efficacem diligendi Deum super omnia, quam ad ipsam actum dilectionis supernaturalis elicendum. Unde sicut ridiculum esset dicere quod homo volaret, aut mortuos suscitaret, si vellet: ita non minus videtur absurdum asserere, quod homo destitutus omni auxilio supernaturali, si vellet, diligeret Deum super omnia: ille enim sine auxilio gratie, non minus impotens est ad diligendum Deum dilectione supernaturali, quam columba sine alis est impotens ad volandum. Quare propheta, penas illas spirituales ad volandum, id est auxilia supernaturalia ad diligendum Deum, ab ipso postulabat, quando dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut colombe, & volabo, & requiescam?* Adde quod, in ordine rerum bene composito, potentia ad volitionem præsupponi debet, non vero volitio ad potentiam: prius enim est quod possimus aliquid

R

præstare, quam quod velimus illud efficere, alioquin vellemus impossibilia.

121 Non est etiam ostendendum, quod D. Augustinus hanc responsionem in Pelagianis sepe impugnavit videtur, præsertim lib. 2. de peccatorum meritis c. 3. ubi loquens de Pelagianis sic ait: *Autem sibi videntur dicere (quasi nosmet ipsos nullus ignoret) quod si volumus non peccamus, nec præcipit Deus homini, quod esset humana impossibile voluntas.* Et libro de gestis Pelagii c. 6. ait: *Possit hominem si velit esse sine peccato. Et, Dei mandata custodire: hanc enim possibilitatem Deus dedit illi, cum ab ipso Dei, & gratia.* Ex quo intelliges, quod quando dum Augustinus aliis in locis dicit, quod homo faceret Dei mandata, si vellet: per se si vellet, non excludit, sed potius includit ipsum auxilium gratie, tam sufficientis quod ad possibilitatem volendi & operandi, quam efficacis, quod ipsam determinationem voluntatis ad volendum & operandum inspirat & operatur in nobis.

§. II.

Cujusdam Recentioris argumenta solvantur.

- 122 Contra nostram conclusionem plura obicit Auctor opusculi cui titulus est, *Vindicta S. Thomæ*, sect. 3. art. 5. quæ breviter hic referemus, ac refellimus.
- 123 Arguit primo in hunc modum. Voluntas Dei antecedens de salute omnium hominum, secundum D. Thomam, nihil est aliud quam velletis quædam, quæ solum naturam humanam secundum generalem rationem nature, & ut a Deo ad salutem condita est, respicit: Atqui voluntas per quam Deus hominibus in statu nature corruptæ media necessaria ad salutem præparat & confert, & gratias aliquas dare decernit, non est illa voluntas, per quam Deus naturam humanam generaliter in se, & ut est a Deo condita respicit: sed est voluntas per quam Deus respicit homines in particulari ut sunt in seipsis, secundum conditiones qua illos circumstant: Ergo Deus per voluntatem antecedentem, nulla hominibus in hoc statu ad salutem media præparat, & nullas eis gratias dare decernit, nihilque penitus circa eorum salutem operatur.
- 124 Secundo, Per eam solum voluntatem Deus operatur in hominibus qua ad eorum salutem conducunt, per quam illa simpliciter vult. Atqui Deus per voluntatem antecedentem nihil vult simpliciter eorum que ad hominum salutem conducunt, quia Deus ea que vult per voluntatem antecedentem, non vult simpliciter, sed solum secundum quid, & circa illa non habet solum velletis, non vero absolute voluntatem, ut ait S. Thomas: Ergo Deus per voluntatem antecedentem nihil operatur eorum que ad hominum salutem conducunt, ac proinde per illam nullam gratiam confert, vel præparat.
- 125 Confirmatur ex D. Thomæ, in 1. dist. 47. q. 1. art. 2. ubi docet quod operatio non respondet voluntati antecedenti, sed consequenti: Ergo ex D. Thomæ, Deus nihil operatur, nisi ex voluntate consequenti, ac proinde per illam tantum, non vero per voluntatem antecedentem, confert auxilia gratie.
- 126 Tertio, Idem S. Doctor comparat voluntatem Dei antecedentem circa hominum salutem, voluntati iudicis, qui simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eam vivere, scilicet in quantum homo est. Sicut ergo iudex ex hac voluntate qua vellet homicidam evadere, nulla ei media præparat, quibus capitis penam evadere possit: ita Deus ex voluntate qua vult omnes homines salvari, in quantum ex parte sua dedit eis naturam ad beatitudinem ordinatam, nulla eis media præparat, nullaque gratias decernit, quibus salutem consequi possint.
- 127 Denique, Illa voluntas antecedens completitur non solum adultos, sed etiam parvulos in utero materno sine baptismi decedentes: Sed pro illis nulla datur media vel remedia ad salutem sufficientia, cum baptizati qui in nova lege est unicum medium institutum a Christo profano, te parvulorum, non possit illis applicari: quia in tali statu non possunt subici operationi Ministrorum Ecclesiæ, ut supra cum D. Thomæ annotavimus: Ergo per voluntatem antecedentem non dantur omnibus media, seu auxilia, ad salutem sufficientia.
- 128 Ad primum respondeo negando Majorem: quando enim D. Thomas docet quod voluntas antecedens est illa que respicit naturam humanam, secundum rationem generalem nature, non intendit quod respicit illam ut sic, & ut præcisam ab omnibus singularibus, ut olim concipiebatur a Platone: quia natura humana, sub tali statu & præcisione, nullum actum divinæ voluntatis terminare potest: ut sic enim præcisat, est in statu mere possibilitatis: Deus autem mere possibilis non vult, nec amat, etiam per amorem simplicis complacentiæ, ut supra ostendimus. Voluntas ergo antecedens dicitur respicere naturam humanam secundum se, & secundum rationem generalem nature, quatenus respicit omnes homines in individuo, & in particulari, ut conveniunt & communicant in eadem natura

ad salutem condita, & ad finem supernaturalis elevata: unde cum talis elevatio sine auxiliis sufficientibus subsistere nequeat (ut disp. a. ostendimus) per voluntatem antecedentem Deus præparat omnibus hominibus auxilia ad salutem sufficientia.

Ad secundum, concessa Majori: distinguo Minorem. 129 Per voluntatem antecedentem, Deus nihil vult simpliciter eorum que ad hominum salutem conducunt, efficaciter, & concedo: inefficaciter, nego. Similiter distinguo Consequens: Ergo per voluntatem antecedentem nihil operatur eorum que ad hominum salutem conducunt, efficaciter, & concedo: inefficaciter, nego. Itaque licet media ad salutem efficaciter conducentia, Deus velit & præparet per voluntatem consequentem, & per prædestinationem, quæ est specialis providentia ordinis supernaturalis, & demittitur ab Augustino, præparatio beneficiorum quibus certissime liberantur quicunque liberantur: media tamen & auxilia, quibus homo sufficienter ad vitam æternam promovetur & ordinatur, ad voluntatem Dei antecedentem referuntur, & ad generalem providentiam ordinis supernaturalis, per quam natura humana ad finem supernaturalem est ordinata & elevata: ut enim inquit S. Doctor supra relatus: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo in finem salutis, & promociō in finem, omnium communiter prospecta, tam naturalia, quam gratia.*

Ad id quod additur, nempe quod Deus ea que vult per voluntatem antecedentem, non vult simpliciter, sed secundum quid &c. Respondetur hoc non esse verum universaliter de omni vultio per voluntatem antecedentem, sed solum de principali vultio: id est de æterna salute, & mediis ad illam efficaciter conducendis; hæc enim per voluntatem antecedentem, Deus non vult simpliciter, sed tantum secundum quid: auxilia tamen sufficientia, quæ sunt vultio minus principale, & quæ ad salutem efficaciter non conducunt, Deus vult simpliciter & absolute per voluntatem antecedentem. Unde patet responsio ad confirmationem: Respondetur enim, quod quando D. Th. docet quod operatio non correspondet voluntati antecedenti, sed consequenti, loquitur de operatione & effectu principali, non autem de operatione & effectu minus principali, qualis est præparatio auxiliorum sufficientium. Quare voluntas illa antecedens, in statu nature lapsæ non est omnino otiosa & sterilis: nec simplex complacentiæ de salute hominum (qualem Scorus, & alii fingunt in Deo circa mere possibilis) per illam enim Deus omnibus proposuit salutis præcepta, consilia & remedia: & omnes homines in finem supernaturalem ordinavit, ut docet S. Doctor supra relatus. Et per illam salutem omnium hominum, etiam reproborum, fit saltem incompletæ & initiatiæ, futura, ut supra declaravimus. Unde falsum est, & a principis D. Thomæ penitus alienum, quod dicit ille Doctor, nempe per voluntatem antecedentem, *Deum nihil penitus circa hominum salutem operari.*

Ad tertium in primis dico, illud argumentum posse in illum Auctorem retorqueri. Nam D. Thomas etiam comparat voluntatem illam antecedentem voluntati mercatoris, qui immittente tempore vult salvare merces, &c. Sed mercator non potest dici habere voluntatem veram & sinceram salvandi merces, nisi, quantum est de se, omnem diligentiam sufficientem adhibeat ad illas conservandas, ut supra arguimus: Ergo nec Deus poterit dici habere veram & sinceram voluntatem salvandi omnes homines, si illis de mediis & auxiliis ad salutem sufficientibus, non providat, & si per talem voluntatem ea non præparet.

Secundo respondeo, exemplum de iudice quod addicit S. Doctor, non tenere quantum ad omnia, sed solum quantum ad aliquod. Paritas stat in hoc, quod sicut iudex vult homicidam vivere, in quantum homo est, ita etiam Deus vult omnes homines salvare, quatenus conveniunt & communicant in eadem natura in finem supernaturalem ordinatam. Disparitas vero consistit in eo quod iudex non est provisor generalis, sicut Deus, ac proinde licet iudex ex voluntate qua vult homicidam vivere, in quantum homo est, nulla ei media præparet quibus capitis penam evadere possit: Deus tamen, ut generalis provisor, per voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines salvos fieri, debet eis aliqua media ad salutem sufficientia præparare.

Ad ultimum, concessa Majori, distinguo Minorem. Illis nulla datur media ad salutem sufficientia: si ly dicitur accipitur ut est correlativum ad recipere, concedo Minorem. Si ly dicitur significat ac offerre, vel præparare, nego Minorem, & Consequentiam. Itaque licet parvulis in utero materno decedentibus, per voluntatem antecedentem non providatur baptismus ut eis applicatur, vel ut aliqua diligentia humana applicabilis, eis tamen providetur, ut pro illis quantum est ex parte Dei, institutus, eisque oblat, vel præparatus, & per meritum Christi quoad sufficientiam obtentus. Unde quamvis datur quod ex vi voluntatis antecedentis, omnibus non conferantur, nec applicantur auxilia ad salutem sufficientia, semper tamen stat, omnibus obsequi

aliquis exceptione, illa per talem voluntatem offerri, vel preparari. An vero intrinsece in omnibus recipientur, in Tractatu de prædestinatione disp. 5. art. 5. dicemus.

§. III.

Quæ alter Recentior obicit contra Auxilium sufficientem, quale a Thomistis admittitur, breviter proponuntur, ac diluuntur.

- 129 Contra Auxilium sufficientem, ab efficaci distinctum, & ab eo separabile (quale admittit Schola Thomistica) multipliciter infertur alter Recentior, in libro Gallico idiomate scripto, quem *Confutationis Innocentii X. defensionem* inscribit, & plura contra illud argumenta proponit.
- Obicit ergo primo S. Thomam nunquam agnovit nisi duplex auxilium gratie, unum quod vocat, *habitudo domini*, & aliud quod *auxilium Dei momentis* appellat, ut constat ex prima secunda q. 109. art. 2. 3. 4. 6. 9. & 10. Sed gratia sufficientis non comprehendit sub habituali domini, cum illa sit aliud auxilium actuale & transiens, nec etiam sub auxilio Dei momentis, cum tale auxilium sit ipsa gratia efficiax, & physice prædeterminans, quam admittit Thomista: Ergo D. Thomas in statu nature lapsæ, nullum agnovit auxilium sufficientem ab efficaci distinctum, & ab eo separabile.
- 130 Secundo contendit idem Auctor, tale auxilium sufficientem antiquioribus Thomistis fuisse profus incognitum, & ab Alvarez, alique recentioribus Thomistis excogitatum, ad salvandam possibilitatem præceptorum supernaturalium, & inexculpabilitatem peccatorum.
- 131 Tertio dicit auxilium illud quod a Thomistis recentioribus admittitur, non esse, nec debere auxilium sufficientem. Nominem enim modis fidei auxiliis sufficientis, apud omnes communitur intelligitur illud quod se solo sufficit, & præter quod nihil ultra requiritur ad agendum: Sed in sententia Thomistarum, præter auxilium illud quod vocant sufficientem, aliud requiritur, per quod potentia applicetur ad agendum, & reductur de actu primo ad secundum. Ergo illud non debet censeri, nec appellari sufficientem.
- 132 Quarto probat variis Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, potentiam proximam ad agendum, & ad eliciendos actus supernaturales, esse a gratia efficaci ac proinde ad hanc non requiri auxilium sufficientem. Præcipua testimonia quæ adducit sunt hæc: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; Joann. 22. Nemo potest venire ad me, nisi duxerit me Pater; Joann. 6. Quibus in locis verbum illud traxerit, & duxerit fuerit, denotat gratiam efficacem, sine qua nemo potest venire ad Patrem, nec consequenter elicere actus Fidei, Spei, & Caritatis, per quos ad Deum accedimus. Idem probat ex testimoniis Conciliorum: dicitur enim in Concilio generali Africano sub Zosimo Papa, cui 416. Episcopi interfuerunt. *Gratia Dei per Jesum Christum nos per singulos aditus adiuvare: ita ut sine illa, nihil vere sanctissimo virtutis habitore, regere, agere, dicere valeamus.* Et in Concilio Atraciano 2. dicitur: *Dei adiutorium, etiam renatis & Sanctis, semper esse implorandum, ut ad hominum finem pervenire, & in bono possint opere perseverare.* Item Augustinus in libro de gestis Pelagii ait: *Sine gratia Dei nemo recte vivit, sine gratia Dei id ad quod adiuvatur fieri non potest.* Et de peccatorum meritis lib. 2. c. 4. *Depravatur adiutorium dicentes, ne nos inferas in tentationem, ut in ea possimus vincere, ne abstrahatur illi: oramus ut peccatorum tentationem vincere possimus.* Et in libro de perfectione iustitie cap. 1. *Oris gemis voluntatis, ut impetret donum sanctitatis.* Denique S. Thomas 1. 2. q. 109. inquit repetit, quod homo nihil potest agere, nisi a Deo moveatur. Quod ad Deum converti non potest, nisi Deo ad ipsum converte, quod nulla creatura, quantumcumque perfecta, potest in quocumque actu prode, nisi virtute motus divini. Quibus testimoniis Recentior ille videtur se ostendere putat, potentiam ad agendum esse a gratia efficaci.*
- 133 Quinto arguit ex definitione necessariis, quam profert idem S. Doctor variis in locis, in quibus docet necessarium dici illud sine quo finis haberi non potest: unde cum gratia efficiax, secundum Thomistam, sit necessaria ad hoc ut homo observet præcepta supernaturalia, & convertatur: ex hoc concludit, sine illa hominem non posse converti, nec observare præcepta. Sicut (inquit) quia navis est necessaria ad navigandum, alimenta ad conservandam vitam, colores & pennicillus ad pingendum: nemo dicit hominem posse navigare sine navis, posse conservare vitam sine alimentis, & posse pingere sine coloribus & pennicillo.
- 134 Sexto idem probat argumento ad hominem, contra recentiores Thomistas, qui docent idem auxilium quod est pure sufficientem comparatione unius effectus, simul esse efficacis respectu alterius minus perfecti. Et quod auxilium sufficientem, simul complet & elevat potentiam, in actu primo in ordine ad actus perfectos, & eam applicat ad actus perfectiores, qui voluntatem disponunt & præparant ad perfectiores. Si enim (inquit) gratia sufficientis possit hæc

duo præstare, complere scilicet potentiam in actu primo, in ordine ad actum perfectum, & eam applicare ad imperfectum: quod etiam hæc duo munia non poterit obire gratia efficiax, quæ est multo perfectior ac præstantior sufficiente; & complere seu elevare potentias animæ, easque simul applicare ad actus perfectos?

Denique idem Auctor in eodem libro, contra recentiores Thomistas sic dicitur. Ideo illi admittunt auxilium sufficientem ab efficaci distinctum, ut potentia animæ eleventur & compleantur in actu primo, ad actus supernaturales eliciendos, quia (inquit) omnis actus secundus debet supponere primum completum: Sed hæc ratio, quæ est præcipuum Thomistarum fundamentum, cum illorum principia coherere non potest: Ergo præcipuum illorum fundamentum corruit. Minorem probat, quia iuxta principia Thomistarum, auxilium sufficientem est aliqua motio, prædeterminatio, & applicatio ad actus perfectos; & tamen illud non supponit potentiam completam, & elevatam ad ordinem supernaturalem, per aliud auxilium, sed illam primo elevat & complet; alioquin daretur processus in infinitum, ut consideranti patebit: Ergo non semper requiritur, quod actus secundus supponat actum primum completum, & sic corruit præcipuum nostræ sententiæ fundamentum.

Hæc sunt præcipua hujus Recentioris argumenta, quibus evidenter se demonstrare putat, nullam in statu nature lapsæ dari auxilium sufficientem ab efficaci distinctum, per voluntatem Dei antecedentem præparatum. Hæc tamen ex principis doctrinæ Thomistica bene intellectis, facile dilui possunt. Unde

Ad primum respondeo primo, D. Thomam clare admisisse & agnovisse gratiam illam quam Thomista sufficientem vocant, licet eo nomine eam non appellaverit. Nam 1. 2. q. 11. art. 2. ad 1. sic ait: *Contingit autem quædamque quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis preparatio præcedit gratiam. Sed quædamque statim perfecte movet ipsum ad bonum, & subito gratiam homini accipit: secundum illud Joann. 6. Omnis qui audit a Patre & dicitur, venit ad me.* Quibus verbis manifeste agnoscit S. Doctor, in statu nature lapsæ gratiam quamdam moventem, & applicantem ad actus imperfectos, & præparantem ad perfectiores: hanc autem gratiam Thomista sufficientem appellant, ut constat ex infra dicendis: Ergo quidquid sit de nomine, & de modo loquendi (de quo parum curandum est, quia ut inquit Augustinus contra Cresconium lib. 1. cap. 13. *Cum res ipsa intelligitur, minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placeat*) dubitari non potest, Sanctum Thomam admisisse in statu nature lapsæ, eandem gratiam quam ejus Discipuli docent, & sufficientem appellant.

Respondeo secundo, quod licet daretur, S. Thomæ non facile expressis mentionem auxilii sufficientis, illud tamen ex principis doctrinæ suæ, satis evidenter colligitur. Primo quia S. Doctor, locis supra relatis, agnoscit in Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, quam dicit esse voluntatem beneplaciti, & non tantum signi, & docet quod ejus effectus est ordo in finem salutis, & promociō in finem, tam naturalia, quam gratia. Ordo autem in finem salutis, cum sit supernaturalis, stare non potest sine mediis, & auxiliis supernaturalibus, ut supra ostendimus: Ergo, &c.

Secundo, D. Thomas in 1. ad Thesalon. cap. 5. lect. 4. ait: *Quod aliquis dicitur extinguere Spiritum Sanctum in se, vel in alio, cum alius aliquid boni ex fervore Spiritus Sancti vult facere, vel etiam cum aliquis boni motus in ipso surgit, & ipse impedit: Astorum 7. vos semper Spiritui Sancto resistit.* Quibus verbis aperte agnoscit Sanctus Doctor, in statu nature lapsæ, gratiam aliquam interiori moventem, cui aliquando resistitur: Sed hæc non potest esse alia, quam gratia sufficientis, quia auxilio efficaci, secundum principia D. Thomæ, nunquam de facto resistitur, ut constat ex dicendis disputatione sequenti: Ergo S. Thomas auxilium aliquod sufficientem ab efficaci distinctum, in statu nature lapsæ agnovit.

Tertio, Idem S. Doctor, præcipuum fundamentum, quo Janfenius & alii Recentiores ducuntur ad negandum in statu nature lapsæ tale auxilium, manifeste convellit: Ergo illi longissime a S. Thomæ distant. Consequentia patet. Antecedens probatur: Præcipuum fundamentum Janfenii, & aliorum Recentiorum, petitur ex distinctione duplicis status nature integræ & nature lapsæ: in quorum primo docent Adamo fuisse collatum auxilium tantum sufficientem, subditum ejus voluntati, quantum ad efficaciam & usum: in secundo vero fatentur hominem lapsam indigere gratia efficaci, quæ voluntati plene demittitur, ipsamque moveat & applicet ad agendum. Sed D. Thomæ hoc fundamentum aperitissime destruit, & necessitatem auxilii efficaci in utroque statu agnoscit: Ergo præcipuum Adversariorum fundamentum everit. Major patet. Minor probatur. Nam D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. in corp. & in resp. ad 1. docet necessitatem auxilii Dei momentis (quod, ut fatetur Janfenius, efficacis est) peti ex triplici capite, scilicet

licet ex infirmitate & corruptione nature, ex elevatione objecti & actus supernaturalis supra potentias anime, & ex generali subordinatione ad primum motorem. Homo (inquit) auxilio Dei movetur indiget in statu nature integre, quantum ad naturam; scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturalis; sed in statu nature corrupta, quantum ad naturam scilicet ut sumatur, & necesse est bonum supernaturalis virtutis operari, quod est meritum. Uterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum. Et in respon. ad 1. dicit quod motus hominis, etiam facti, non ipse habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo. Et art. precedenti in corp. Quamvis autem (inquit) natura aliqua corporalis vel spiritalis possit perfectam, non potest in seipsum gradum, nisi movetur a Deo. Quibus locis aperte docet S. Doctor, hominem in utroque statu integritatis & innocentie indigere auxilio Dei movens ad operandum & volendum bonum supernaturalis; Sed tale auxilium, ut factum est Adversarii, efficacius est, & predestinans voluntatem ergo juxta principia S. Thomae, homo in utroque statu indiget auxilio efficaci & predestinante, & ita precipuum illorum fundamentum corruit.

144 Confirmatur primo: D. Thomas ibidem docet necessitatem gratie movens, in utroque statu nature, integra & corrupta, per ex generali subordinatione ad primum motorem, ut enim Uterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum. Et art. 9. sequent: Homo (inquit) indiget auxilio gratie ut a Deo moveatur ad bene agendum, & hoc propter duo. Primo quidem ratione generali, propter hoc quod, sicut supra dictum est, nulla rei creatura potest in quocumque alium gradum, nisi viam motus divinam. Secundo ratione speciali, propter conditionem status humani nature, quae quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem &c. Sed hoc fundamentum expresse negat Janfenius Tomo 3. lib. 8. c. 2. ubi fit de Thomistis loquitur. Ab illis physica predestinatio sanatur omnibus agentibus, ex vi causa secunda, quae essentialiter, tam in operari, quam in esse suo, subordinetur prima: a qua ad agendum promovetur debet, Christi adjuviorum nequaquam, sed lapsa voluntati propter solum voluntatem quod est infectio peccati voluntatis auctoria, necessarium est. Ergo doctrina Janfenii directe pugnat cum doctrina D. Thomae.

145 Confirmatur secundo argumento ad hominem, desumpto ex principis ab Antonio Aru. Ido Doctore Sorbonico, in opusculo quod inscribitur Vera Sancti Thomae de gratia sufficienti & efficaci doctrina, statuta. Nam ibidem docet & multipliciter probat, D. Thomam quae illa 109. supra citata, cuius omnes sunt articulos percurrit, nullam aliam gratiam agnovisse, praeter sanctificantem, quam vocat habituale donum, & efficacem, sive predestinantem, quam auxilium Dei movens appellat. Ergo quando idem Sanctus Doctor ibidem artic. a. in respon. ad 1. asserit quod mens hominis etiam facti indiget moveri a Deo: intendit decere hominem sanum, seu in statu innocentie & integritatis constitutum, indigere auxilio efficaci, & physice predestinante: & sic corruit precipuum hujus Doctores fundamentum, quod movetur cum Janfenio, ad negandum dari in statu nature lapsae auxilium sufficiens ab efficaci distinctum.

146 Confirmatur & urgetur amplius. Quando D. Thomas dicit quod in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur, vel per auxilium illud movens, intelligit auxilium sufficiens, vel auxilium efficacius, vel utrumque sub nomine auxilii movens comprehendit? Quidquid responderetur, habeo intentum. Si enim primum dicatur, habetur D. Thomam non solum in statu innocentie, sed etiam in statu nature lapsae, agnoscere auxilium sufficiens ab efficaci distinctum. Si secundum: Ergo D. Thomas in utroque statu admittit necessitatem auxilii efficaci ad operandum, & ita corruit precipuum Adversarii fundamentum. Si tertium: Ergo non recte inest Doctor ille Sorbonicus, in toto illo opusculo, quod inscripsit, Vera Thomae de gratia sufficienti & efficaci doctrina, D. Thomam nullum in statu nature lapsae admisisse auxilium sufficiens, ex eo quod non nisi duplex auxilium gratie agnovisset: unum quod vocat habituale donum, & aliud auxilium Dei movens appellat: siquidem, juxta hanc responsionem, sub nomine auxilii movens, utrumque auxilium, tam sufficiens, quam efficacius, S. Doctor comprehendit. Unde Ad primum argumentum respondeo, concessa Majori, negando Minorem: nam sub nomine auxilii Dei movens, utrumque auxilium, tam sufficiens, quam efficacius continentur: quia utrumque consistit in quadam motione supernaturali, applicante potentias anime ad actus supernaturales: cum hoc tamen discrimine, quod auxilium sufficiens movet tantum, & applicat ad actus imperfectos, qui animam disponunt & preparant ad perfectiores: auxilium vero efficacius movet & applicat ad actus perfectos contritionis & caritatis, qui animam ultimo preparant & disponunt ad gratiam sanctificantem, quae est ultima & per-

fectissima forma ordinis supernaturalis. Unde communitur docent Thomista cum Alvarez libro 3. de auxiliis disp. 80. auxilium omne quod respectu unius actus est sufficiens, esse simul etiam efficacius in ordine ad alium, ad quem effluendum, per absolutum divinae providentiae decretum ordinatur: ita ut simpliciter sit sufficiens, efficacius autem secundum quid.

Ad secundum respondeo, non solum recentiores Thomista, sed etiam antiquiores, agnovisse in statu nature lapsae auxilium sufficiens ab efficaci distinctum, & ab eo separabile. Cajetanus enim super Epistolam Pauli exponens haec verba Apostoli 1. ad Corinth. 10. Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere, subiungit: Dicit Apostolus, ut possitis sustinere, & non dixit, ut sustineretis: sed enim est fidelitatis divinus, ut arbitrii posse sustinere. Velle autem sustinere, & ipsum sustinere, aliteris gratia est, quae sic dicitur conferri, & non est omnibus communis. Quibus verbis utrumque auxilium sufficiens & efficacius ita clare exprimit distinctissimam illam causalitatem, ut solis actus videtur non possit. Ibi enim distinguit duplicem gratiam: unam specialem, aliam communem, quam quae datur omnibus, aliam quae datur praecipue electis: unam quae dat posse sustinere tentationes, alteram quae datur ut actu illas sustineamus.

Idem auxilium sufficiens ab efficaci distinctum docet Ferrariensis Cajetano contemporaneus p. contra Gentes cap. 159. ubi haec scribit: Cum duplex sit auxilium Dei quod ad beatitudinis consecutionem indiget, scilicet habituale gratia, & divina motio, non intrinsece quae exprimitur facta, quae ad bonum dirigitur, & ad gratia preparationem excitatur: primum auxilium Dei non omnibus dat absolute loquendo postquam peccaverint, sed bene omnibus sed ad ipsum preparantibus ex divinae motione concedit. Secundum autem auxilium omnibus impenitentibus, & nulli quantum ad hoc esse facti Deus, cum nullus sit qui non non movetur ad bonum, & ad gratia preparationem, iuxta illud Apocalyp. 3. Ego sto ad ostium, & pulso.

Item Dominicus Soto, qui Concilio Tridenti interfuit, 150 & multis annis ante Alvarez scriptis, in 4. dist. 14. q. 1. art. 10. dicit: Nunquam per Deum fiat, quinimus quicumque peccator reconciliatur, eam ipse volens: nemini enim auxilium speciale denegat, quod ad reconciliandum sufficit. Idem auxilium sufficiens ab efficaci distinctum clare docet Medina 1. 2. q. 109. art. 10. ubi sic habet: Scio quod Deus geminum donum sui gratie conferre solet peccatoribus: Alterum quae possit resistere, & salvari, & hoc donum omnibus hominibus conferre, de quo dicitur, Ecce ego ad ostium, & pulso. Alterum est auxilium efficacius, quae homo efficitur convertitur, & salvari, & hoc universis hominibus qui penitent non conferre, non certe sic conferre auxilium efficacius, convertentibus, efficiat enim Dei motio, nemo resistere potest. Idem sentiant Navarrete 1. p. q. 19. art. 8. Banez ibidem q. 23. art. 3. Ledesma de auxiliis q. un. art. 16. & alii communitur.

Ad tertium nego Majorem ad cuius probationem dicendum est, quod licet apud Grammaticos, nomina auxilii sufficiens, intelligatur illud quod omnibus modis sufficit, & praeter quod ad operandum nihil ultra requiritur, apud Theologos tamen & viros doctos, nomina auxilii sufficiens, intelligitur id quod dat potentiam totum complementam, & totam virtutem, seu facultatem ex parte actus primi, & principii habitualis ad operandum requiritur: quamvis non det actualitatem seu complementum se tenens ex parte actus secundi, & constituit voluntatem in ratione principii actualis suarum operationum. Unde licet datur, auxilium quod admittit Thomista in statu nature lapsae, & quod sufficiens appellatur, non esse sufficiens Grammaticaliter, erit tamen sufficiens Theologicis. Et hoc duplici titulo: primo quia sufficiens excitat voluntatem ad volendum & operandum bonum supernaturalis. Secundo, quia dat illi totam sufficientiam, & totum complementum se tenens ex parte actus primi, & potentiae antecedentis (ut suppono ex tractatu de auxiliis) quamvis non tribuat illi actualitatem, motionem, & applicationem, per quam constituitur in ratione principii actualis suarum operationum, & fit potens ad operandum, non solum potentia antecedenti, ab actu secundo separabili, sed etiam potentia consequenti, cum operatione indissolubili conjuncta, & copulata. Sed de hoc sufficit D. Augustinus Thomistarum tractatu de gratia, c. 10. ubi ex hoc complet in actu primo potentiam ad agendum, est non det applicationem ad actum, sufficiens appellari potest: & Ludovicum Monsalium, in famosis illis ad Provinciales Epistolis, Thomista deridemem, quod auxilium illud sufficiens appellatur, praeter quod aliud ad operandum requiritur, ab ipsis quoque merito irridendum esse ostendemus.

Ad quartum respondeo, quod quodam Scripturae, Concilia, & Sancti Patres docent hominem sine gratia non posse venire ad Christum, non posse credere, non posse converti, &c.

ti, &c. Si in eis locis fit fermo de gratia efficaci, haec intelligenda sunt de potentia consequente & infallibilitatis, non autem de potentia antecedente & pure possibilitatis. Et ita satis clare fit explicat August. de natura & gratia, c. 42. ubi dicit: Satis & adjuva hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in Sanctis provenit: quibus verbis docet, possibilitatem cum effectu conjunctam, quae est potentia consequens & infallibilitatis, esse a gratia efficaci: non tamen negat, possibilitatem antecedentem, & ab actu separabilem, esse a gratia sufficiente.

154 Eadem explicatio aperte colligitur ex D. Thom. locis ab Adversario citatis, ubi dicit quod nulla res creata potest in actu prodire, nisi viamque divinae motionis: haec enim propositio sumpta in hac universalitate, & intellecta de omnibus causis secundis, etiam naturalibus non potest esse vera, nisi explicetur & intelligatur de potentia consequente; nam certum est causas naturales, independentes a divina motione, habere potentiam antecedentem ad operandum ratione virtutis naturalis quam a Deo in prima productione receperunt, & indigere solum ejus motione & applicatione, ut talis virtus de actu primo ad secundum educatur.

155 Ad quintum quod sumitur ex definitione necessarii a D. Thoma adducta, dicendum est, illam esse legitimam, sed cum grano salis intelligendam. Quando enim dicitur, quod necessarium est illud sine quo nihil haberi non potest, hoc debet intelligi, abstrahendo a potentia antecedenti & consequenti: ita ut si aliquid fit necessarium ex parte potentiae & actus primi, finis sine illo haberi non potest, intus potentia antecedente. Si vero illud fit tantum necessarium ex parte secundi, vel ut reductivum de actu primo ad secundum, finis sine illo haberi non potest, potentia consequente & infallibiliter cum actu conjuncta. Et ita cum gratia sufficiens se tenet ex parte actus primi, tamquam ejus complementum, & ut virtus elevativa potentiae, sine illa homo non potest converti, nec observare praecepta supernaturalia, potentia antecedenti. Contra vero cum gratia efficaci se tenet solum ex parte actus secundi, vel potius sit aliquis nexus intermedius, conjungens indissolubili actum primum cum secundo, ut docent Thomista in Tractu de auxiliis, ille qui caret auxilio efficaci, non potest converti, nec observare praecepta supernaturalia, potentia consequenti, & indissolubili conjuncta cum actu. Unde patet disparitas ad exempla de navi, de penicillo, de alimentis, quae profert ille Recensor, & sepe repetit & inculcat: haec enim sunt necessaria ad navigandum, ad pingendum, ad conservandum vitam, ex parte ipsius potentiae, & actus primi; & ideo absolute & simpliciter verum est dicere, quod homo non potest navigare sine navi, pingere sine penicillo, & coloribus, nec conservare vitam sine alimentis. Gratia autem efficacius non est necessaria ad operandum; ex parte actus primi, tamquam complementum potentiae, sed tantum ex parte actus secundi, & tamquam ejus applicatio. Unde qui ea caret non potest dici simpliciter impotens ad operandum (sicut qui caret navi & penicillo, censetur simpliciter impotens ad navigandum & pingendum) sed solum secundum quid, & cum addito: potentia scilicet consequente, & applicata ad actum, sive cum actu dissolubili conjuncta.

156 Ad sextum respondeo quod licet auxilium sufficiens possit simul complere potentiam ad actus perfectos, & eam applicare ad imperfectos, ut Thomista docent in Tractu de Auxiliis, auxilium tamen efficax non potest utrumque praestare, & duo illa munia simul obire. Ratio discriminis est, quia cum auxilium sufficiens sit prima forma ordinis supernaturalis (prima inquam ordine generationis, non perfectionis) ea proinde nullam in tali ordine praesupponat, debet primo elevare potentias anime, easque complere in actu primo ad actus supernaturales eligendos: & cum aliunde fit quadam motio & praedeterminatio, debet illas applicare ad aliquos actus, saltem imperfectos. Auxilium vero efficacius est secunda forma ordinis supernaturalis, & quidam nexus indissolubili conjungens potentiam cum actu: unde praesupponere debet potentiam jam elevatam & completam in actu primo per auxilium sufficiens, eamque solum applicare ad agendum, sive reducere de actu primo ad secundum.

157 Ex quo patet responso ad ultimum, concessa enim Majori negando et Minor. Ad cuius probationem dicendum est, quod licet auxilium sufficiens sit quadam modo & praedeterminatio ad imperfecte volendum, & eligendos actus imperfectos, qui preparant & disponunt ad perfectiores, nihilominus quia est prima forma ordinis supernaturalis, non debet praesupponere potentiam prius completam & elevatam ad ordinem supernaturalem, sed debet eam primo complere & elevare. Sicut videmus in naturalibus, quod prima diffusio aliam non praesupponit in materia, sed eam primo preparat ac disponit, alias daretur processus in infinitum. Auxilium vero efficacius est secunda forma ordinis supernaturalis, ac proinde non debet primo complere potentiam, & elevare ad illum ordinem; sed potius debet eam

praesupponere completam & elevatam per aliam formam priorem, scilicet per auxilium sufficiens, eamque solum ad actus perfectos movere, & applicare.

DISPUTATIO V.

De efficacia voluntatis Dei.

Celebris est haec disputatio, ex illa enim pendet resolutio plurimum difficultatum & controversiarum, quae inter Thomistas & Recentiores his temporibus agitantur. Unde haec materia accurate pertractanda est, & veluti ad pondus Sanctuarum ponderanda: id est ad normam Scripturae, doctrinae SS. Patrum, rationum Theologicarum, diligenter examinanda.

ARTICULUS I.

An circa nostros actus liberos, Deus habeat decretum de se efficacius, vel pure indifferens, ac expectans determinationem a libero arbitrio?

§. I.

Quibusdam praemissis, referuntur sententiae, & vera eliguntur.

Notandum primo: Effectus qui a Deo procedunt, & triplicis esse generis. Quidam enim a solo Deo procedunt, sine ullo consortio & cooperatione causae creatae, ut creare Angelum, glorificare animam, dare primam vocationem &c. Alii causantur a Deo cum consortio causae creatae, sed naturalis & necessariae, ut illuminatio, calefactio, &c. Alii denique ab illo producuntur cum cooperatione causae creatae liberae: ut actus caritatis & contritionis, justitiae vel temperantiae. De actibus primi & secundi generis, nulla est difficultas vel controversia inter Theologos: evidens enim est dari in Deo decretum quae sit efficacius antecedentem influens, & natura sua causans tales effectus. Unde tota difficultas & disputatio devolvitur ad actus tertii generis, quos Deus efficit cum consortio, & cooperatione causae liberae, cuius libertati & indifferentiae officere ac repugnare videtur efficacia antecedens decreti absoluti & determinati.

Notandum secundo, Duobus modis decretum divinum posse dici indifferens. Primo quia nullum actum determinat respicere, nullamque decremit actionem in specie, sed indifferenter se habet ad quamcumque operationem, & expectat determinationem a voluntate creatae, quantum ad speciem actus. Secundo decretum potest vocari indifferens, quia licet determinet & applicet voluntatem ad aliquem actum in specie & in individuo determinatum, eam tamen determinat per modum liberi, & relinquendo in ea indifferentiam positivam & actualem, seu potentiam ad actum oppositum. Et in hoc secundo sensu, non negant Thomista, Deum circa nostros actus liberos habere decreta indifferencia, sed tantum in primo, de quo solum procedit praesens difficultas & controversia.

Notandum tertio: Aliud esse voluntatem Dei esse efficientem, & aliud illam esse efficacem. Nam efficiens proprie dicitur ab effectu qui de facto sequitur; & ita sufficit ad hoc quod sit efficiens, quod concomitantur concurrenti, vel etiam ex associatione alterius causae, ipsa voluntate concomitante concurrente, effectus sequatur: ut autem sit de se efficacius, requiritur quod ex directione & sine praconcepto, ita moveat ad efficiendum, quod determinate moveat ad talem effectum in specie, & in individuo, non vero ita indeterminate & indifferenter se habeat, quod ex illa aequae bene possit sequi, vel non sequi effectus. Et in hoc magna contingit equivocatio, & hallucinatio apud aliquos Recentiores, qui confundunt efficaciam divinae voluntatis & gratiae, cum ejus efficientia, & ex hoc quod gratia non influat in actus liberos nostrae voluntatis, nisi cooperante libero arbitrio, inferunt illam non esse efficacem ex se, sed solum ex consensu, & cooperatione liberi arbitrii. His praemissis

Circa propositam difficultatem duo sunt celebres sententiae, quarum prima negat in Deo decreta ex se efficacius circa nostros actus liberos, & asserit pure indifferencia. Ita Molina in pluribus suis concordiae locis, praesertim q. 14. art. 13. disp. 26. §. Nover, Suarez prolog. 2. de gratia c. 8. Lessius lib. de gratia efficaci c. 4. & alii Recentiores communitur, allimentes Deum offerre voluntati creatae concurrentem indifferenter generalem, ad unum actum, & ad oppositum, quatenus est de se ad utrumque paratus; & a voluntate creatae determinari speciem actus ad quem Deus concurrat.

Addit quod, ratione hujus decreti generalis & indifferents, divina omnipotentia ita remanet conjuncta & connexa voluntati creatae, ut hac operante, illa necessario co-